

Petri hispani

Syllogismus dyalecticus est qui ex probabilibus est syllogisatus.

Hic definit syllogismum dyalecticum dicens. syllogismus dyalecticus est qui ex probabilibus est syllogisatus. ut omnes homines naturaliter scire desiderant. scilicet laici sunt homines. ergo laici naturaliter scire desiderant. Et autem probabile quod apparet omnibus esse verum. aut pluribus. aut sapientibus. et. ut dicitur primo thopicoz. ubi ponitur distinctio probabilium. nam aliquid est probabile grossum quod videtur omnibus vulgaribus quoddam est mediocre. quod cognoscitur a pluribus vulgaribus. quoddam est subtile quod cognoscitur ab omnibus sapientibus. quoddam subtilius quod cognoscitur a pluribus sapientibus. quoddam subtilissimum. quod solum a maxime sapientibus cognoscitur. et omnia ista probabilia continentur in definitione probabilis. ut patet inveniuntur.

Ad Syllogismus dyalecticus quandoque fit ex necessariis. ergo non semper procedit ex probabilibus. Antecedens probatur. quia quandoque fit argumentum dyalecticum per locum a definitione ad definitum sed definitio necessario infert definitum. ergo et. **Ad** Omne quod licet definitio syllogismi dyalectici quandoque procedat ex necessariis. hoc tamen non est nisi in quantum respondentem videntur probabilis.

Ad Sic unus et idem syllogismus esset demonstrativus et dyalecticus. Dicendum quod idem syllogismus potest vni esse demonstrativus. et alteri dyalecticus. vel etiam vni et eidem successive in quantum habet eandem materiam communem. id est easdem propositiones et terminos. differens tamen ex parte materie specialis. quia demonstrativus habet fieri ex materia necessaria. et namque ex alia. sed dyalecticus habet fieri ex materia probabilis in quantum probabilis.

Syllogismus sophisticus. ut definitur ab Aristotele in elenchis est qui apparet syllogismus et non est. aut qui est syllogismus. sed non est conveniens rei.

Hic ultimo diffinit syllogismum sophisticum dicens. syllogismus sophisticus est ut definitur ab Aristotele in elenchis qui apparet esse syllogismus et non est. aut qui est syllogismus sed non est conveniens rei. Et sic syllogismus sophisticus probatur tripliciter. primo ex parte rerum. quia sicut est in rebus ita est in syllogismis et orationibus. sed in rebus sunt aliqua que solum habent apparentiam alicuius nature et non existentiam. ergo in syllogismis sic erit quod aliquis erit syllogismus qui solum habet apparentiam veri syllogismi. et talis est sophisticus. Secundo probatur in corporibus animatis. quia aliqua sunt corpora secundum naturam pulchra. quod habent ex naturali compositione membrorum. alia vero solum apparent pulchra propter quendam ornatum extrinsecum. ergo sic erit in syllogismis. Tertio probatur in mineralibus. quia videmus aliquod verum argentum. et aliquid solum apprens argentum. sicut litargica et stannica. quare sic proportionabiliter erit in syllogismis. sic quod aliqui sunt veri syllogismi et aliqui apparentes tantum.

Notandum Quod illa apparentia que facit syllogismum sophisticum solum apparet imperitiis illorum ad que fit disputatio. quod scilicet. **Ad** ij